

C. 151.

120

DISPUTATIO PHILOLOGICA
DE
DIFFICULTATE
INTERPRETATIONIS GRAMMATICAЕ
NOVI TESTAMENTI

QVAM
EX AVCTORITATE AMPLISS. PHILOS. ORDINIS
SUB PRAESIDIO
IOH. AVGUSTI ERNESTI
LITTERAR. HUMANIORVM PROFESSORIS PVBLICI
A. D. XXVII. SEPT. CICIOCCCLV.

H. L. Q. S.
DEFENDET
GEORGIVS GODOFREDVS ZEMISCH
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DISPATATIO PHONOLOGICA

DICTIONARIA
INTERPRETATIONE GRAMMATICO-
LITERARIA TERRITORIIS NOVI TERRITORIIS

JOHN AVARDI HERMANNI
HISTORIA ROMANA ET HISTORIA

GEORGIAE GODOSIBAE SEMINORII

PARAGIA



C. D.

S. I.

Edisputatione, quae nobis ante aliquot annos erat instituta *Prolegomena*.
de difficultatibus *Noui Testamenti recte interpretandi*,
superest pars ea, in qua exponendum est de genere dif-
ficultatis, quod in Grammaticorum praceptorum sci-
entia iusta et idoneo vsu cernitur. Ea cum destinata esset
Academicae Exercitationi, destituta est aliquoties ab aduersa fortuna eo-
rum, qui ea in conuentu studiosorum disceptanda experiri ingenium
linguamque euperent. In quo adeo nihil damni passa est, vt etiam lu-
cri fecerit plurimum. Nacta enim est disceptatorem ac defensorem
iucenem ingenii praestantis et studii rectissimi, qui per aui clarissimi,
Gotfridi Olearii, vestigia ad Theologi vere eruditio laudem magno gra-
du contredit. Ceterum, quando tantum interualli factum est, post-
quam priores partes a nobis sunt explicatae, summa eorum, quae ante
dicta sunt, in principio huius Commentarioli proponenda viderur.

S. II.

Interpretatio *Noui Testamenti* accurata et homine erudito digna,
quae non sit contenta verbum de verbo latine, aut germanice, e Le-
xicis vulgaribus reddere, quod genus ne in humanis quidem, graecis
latinisque libris probatur, nec compendiis doctrinae Christianae, quae
lumen et autoritatem ab legitima et accurata interpretatione librorum
divinorum accipiunt, non illi addunt, sed quae idoneis literarum pra-
fidiis adiuta, sensum verum verborum per usum loquendi vestigia inda-
ger, repertum accommodate ad cuiusque linguae indolem exprimare,
rationibus certis e Grammaticorum disciplinis confirmet, et circuiter

4 DE DIFFICULTATE INTERPRETATIONIS

τως defendat: ea igitur interpretandi Noui Testamenti ratio, pluribus, quam in vlo alio graeco libro, difficultatibus laborat. Earum *primum genus* non insitum libris ipsis, aut ex indole eorum necessario natum est, sed extrinsecus eis a temporum mutatione accessit. Nam *primum*, quod aut historici argumenti sunt, aut adspersa habent quaedam ex eorum, quibus scripti sunt, temporum conditione, opinionibus, moribus, disciplinis, institutisque, non potuerunt non plurimum paullatum, rebus his omnibus communitatis penitus, difficultatis in intelligendo contrahere: quae est in iis maior, quam in ceteris libris, quod in his viii fere gentis, veluti Romanae indolem nosse sufficit, in illis, quia scripti sunt Christianis, maximam partem Exiudaeis, inter Graecos, sub Latinorum imperio, viuentibus, omnium earum gentium mores, instituta publica, et priuata, sacra et profana, opiniones, magistratus, disciplinas sapientiae nosse h. e. hebraicarum, graecarum et latinarum literarum scientiam non vulgarem habere necesse est. Oratio *deinde ipsa*, qua viri diuini vsi sunt, non est pure graeca, id quod nemo, sati graece doctus, dubitare potest, sed plurimum e lingua hebraica, vel qualis in libris veteris Testamenti est, vel qualecum tum usurpabant, traxit, partim formis loquendi ex hebraicis ad verbum factis, vel significacione verborum singulorum non ex vsu bene graece loquentium, sed e verbis ducta, quae iis in lingua hebraica utcunque respondere viderentur. Quo genere dicendi viri diuini vtebantur necessariis et idoneis de caussis. Nam et ipsis graecas literas aut non didicerant, praecipiti Grammaticorum græcorum cognoscendis, et bonis scriptoribus græcis legendis, et exercitatione apud idoneos magistros usurpanda, quae est una ratio facultatis recte ac bene loquendi comparandæ, propterea, quod in ea vita ac forte, qua olim vsi fuerant, eius rei opportunitatem nullam habuerant, per mores autem Iudaicæ gentis, si vel maxime habuissent, ea ne vti quidem ausi fuissent: aut, si didicerant, quod de uno fortasse Luca credere sinat antiquitas, tamen ab genere orationis bene græcae abstinere, et eo potius vti debebant, quod hebraicam linguam maxime referrer, cui etiam ex vsu versionis Alexandrinae Iudæi essent adiucti, ne aut offendarent Iudeorum animos, litteris græcis et bene græce loquendi studio, vt rei profanae et impiae infestos (Ioseph. Ant. XX, 11.) quibus etiam pollui res sacras crederent, aut in obscuritatem inutilem, plebejiis et indoctis hominibus nullo modo intellecturis, quae bene græce scripta essent, praesertim de religione, et rebus nouis. Sed illa ipsa oratio ad hebraicam similitudinem conformata, quae tum perspicuitati seruiebat mirifice,

Christia-

GRAMMATICAE NOVI TESTAMENTI. 5

Christianis ei rationi adsuetis, et facile, graeca hebraicis comparando, sensum eorum adsequentibus, postea quam doctrina Christiana propagata est ad gentes hebraicarum literarum plane expertes, magnam difficultatem creauit interpretibus. In illis ipsis *porro*, quae satis pure dicuntur, cuius generis sunt sane non nimis pauca, difficultas obicitur non leuis ex eo, quod plerisque, leuiter modo tinctis literarum graecarum scientia, non est in promtu, in comparatione eorum cum scriptorum graecorum consuetudine recte intelligenterque versari, ut eorum propemodum omnium exempla declarant, qui in hoc genere comparationis, et hinc Φείτεως Noui Testamenti illustrandae versari voluerunt. Et haec quidem primi generis difficultates a nobis sunt commemoratae et disputatae.

§. III.

Alterum genus difficultatis numerauimus, quod ab Interpretum imperitia interpretandi atque inscita linguarum ortum est. Nam ad interpretandum accedere omni tempore ausi sunt, atque etiamnum audient, homines plerumque non modo hebraicarum literarum aut plane rudes, aut non ultra vulgaria Lexica docti, sed etiam graecarum ne mediocri quidem scientia instructi: quorum illi graeca saepe male et confueridine Graecorum pure loquentium acceperunt, hi et versionibus pendere coacti sunt, quarum verba dum v. c. et latinae linguae ratione, aut etiam, quod frequentius est, vernaculae suae vsu intelligunt, innumerabiles in interpretando dissensiones, nunquam illae componendae, errores, atque etiam ineptiae natae sunt, quales eum in scriptoribus profanis non ferantur, in libris diuinis, omnium religiosissime ac diligentissime tractatis, non modo ferri, sed etiam aeriter defendi, profecto vehementer dolendum est. Ea difficultas veri in interpretando videndi tanto est maior, quod versionibus vernaculis et interpretationibus parum accuratis plerique a pueris, audiendo, legendo, aliisque rursus tradendo, adsuerti ita securi erroris facti sunt, ut iis nunquam in mentem veniat de earum veritate dubitare, nec quamvis praeclaro ingenio praediti, nisi forte ab admonitu alterius, viria earum animaduertant.

§. IV.

Tertium genus posuimus in praeceptionum et observationum Grammaticarum iusta scientia et multo magis recto vsu. In quo veluti prolusionis loco, multis et idoneis, ut opinamur, rationibus, etiam auctoritatibus magnorum interpretum commemorandis, ostendimus, eam solam veram et certam esse interpretationem, solam proprie inter-

6 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

pretationem dici haberique debere, atque omni tempore a peritis existimatam esse, quae grammatica sit, quae verba ex obseruationibus grammaticorum et praeceptis explicet, et his intellectis rerum scientiam consequatur: qui autem, verborum scientia praetermissa, et vsu loquendi, qui in verbis dominatur, neglecto aut ignorato, e rebus velint interpretari verba, eos fortasse sine noxa ad summam doctrinae Christianae peccare; ceterum peccare tamen saepe, interdum turpiter, et cum irrisione intelligentium, philosophantes super rebus, quarum nihil sit in verbis: qua ratione nihil possit esse vanius. Quae etiam exemplis perspicuis a nobis sunt illustrata. Ceterum, grammaticae interpretationis necessitate et quasi dignitate constituta, eorum autem vanitate, qui philosophantur potius in libris diuinis, quam interpretantur, conuicta, de difficultate ipsa, restat, ut nunc dicamus, non modo vniuersa illa, et communi libris omnibus, qui quidem scripti sint lingua ex vsu vitae communis sublata, praeferim antiquioribus, quam antea iam attigimus, sed ea in primis, quae est propria grammaticae N. T. interpretationi.

§. V.

In quo veremur interdum, ne sint, qui parum prudenter a nobis fieri dicant, cum aperire difficultates huius rationis instituamus, atque augere, quas minuere verbis, et occultare quouis modo debeamus, vt iuuenum

*actas improuida ludificetur
Laborum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur.*

Atque nos non sumus ii, qui ignoremus, permultos hoc disciplinarum doctores profiteri solere, facilem se ac breuem viam reperiisse, qua possent, qui se duces sequerentur, ad sapientiam adducere, eiusque professionis veluti esca allicere ad scopulum piceas. Sed nobis semper ita persuasum fuit, vt istos promissores, professores volebamus dicere, simillimos putaremus iis, qui se auri faciendi artem aliis tradituros pollicerentur, cum ipſi nullius alius rei magis, quam auri inopia laborarent. Nos quidem semper putauimus esse dignum humanioris disciplinae liberalitatē, ita animum inducere, vt difficultatibus doctrinae commemorandis acueremus atque incitaremus potius bona ingenia, quam tacendis negandisque retineremus tarda atque ignava, quibus tandem ipsis interdum difficultatis cogitatio somnum excutit, mallemus que similes esse Xenophontiae Virtuti, quae viam eam, cuius ingrediendae auctor esset Herculei, denunciabat esse longam, asperamque,

quam

quam Vitio, quod Herculem tentabat ἐξαπατῶν προσομιος ηδονῆς,
praefatione suavi decipere.

§. VI.

Sed ut ratio totius huius disputationis in promtu sit, age in principio summatam eius proponamus, commemorandis muneribus huius, *Summa Disputationis.* de qua nobis sermo est, interpretationis, in quibus magnas difficultates obiici docebimus. Sunt igitur partes huius interpretandi generis haec: de lectione accurata et modesta *negotis:* intelligendi subtilitas, qua possis, quid intelligas nec ne, videre, et intelligendi difficultates animaduertere: bene graeorum et hebraicorum distinctio: vtrorumque sensus per usum loquendi et αναλογιαν linguarum solers indagatio: praeceptionum et observationum Grammaticarum accurata scientia, et ad eas diligens omnium exactio: tropicorum verborum a propriis cauta discrecio: emphasius curiosa inuestigatio et verarum a fictis distinctio: επαντοφενῶν apta et non contorta compositio.

§. VII.

Primum ergo locum tenet *accurata et modesta de lectione loci cuiusque negotis.* Nam, ut bene Quintilianus praecepit (I, 4. init.) enarrationem, h. e. interpretationem, *praecedat emendata lectio.* Ea autem hodie prope magis necessaria est, quam superioribus temporibus fuit, posteaquam tot tamque magna variarum lectionum volumina prodierunt, tot locorum lectiones in dubitationem adductae, tot denique coniecturae de lectione vera prolatae sunt. Sed haec *negotis* ducitur a Critica, quae, ut in omni alia scientia, ita in Grammatica principatum obtinet, unde γεωμετρίη ἀνθεβεσέγα veteribus dicta, sed eadem est ceteris munericis grammatici paribus longe difficilior, quia non modo illarum omnium accuratam scientiam usumque, quorum quippe veluti fundamenta nititur, sed etiam multis magnisque ingenii animique virtutes desiderat, sine quibus ἀνειστὰς potius, quam *negotium* et sit et habeatur. Enimvero cum vnaquaque ars duabus rebus constet, praeceptis et usu, haud facile dixerim, vtra pars in hac Critica arte, in primis quoad Novi Testamenti libris accommodatur, difficilior si atque impeditior. Ut primum de praeceptis dicam, quae vel de vnaquaque parte apparatus Critici, h. e. libris graeis, iisque vel per librarios scriptis, vel per typographorum formulas editis, versionibus antiquis, SS. Patrum vel Commentariis vel testimoniis, eorumque omnia auctoritate, iudicant, vel lectionis in singulis locis diligendae iudicium dirigunt: quantae in ea parte difficultates propositae sint, nemo potest ignorare, qui aut non admodum est eorum ignarus,

*Criticae recte
exercendae
difficultates.*

quae



8 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

quae de ea ad hoc tempus eruditissimi viri literis prodiderunt, aut ipse aliquando rei periculum cum cura fecit. Quamquam res ipsa satis declarat, maiores hic esse, quam in vlo humano libro difficultates. Nam quo maiori est librorum manuscriptorum, editorumque, versionum, Commentariorum antiquorum, ceterorumque testimoniorum multitudine et varietas, hoc difficilis est satisfacere in Canonibus de varietate lectionis, quae ex ipsis fontibus ducitur, scribendis, non modo imperitis, quibuscum magna et molesta hic est concertatio, sed etiam peritis, intelligentibus, et aequis iudicibus. De lectione autem diligenda praecepere multo impeditius est. Quod fit, cum aliis communibus de causis, tum propter naturam rerum, et dictio[n]is ab auctoribus diuinis usurpatae. Est hoc a nobis alio loco demonstratum, (praef. Suetonii p. 13.) iudicium lectionis diligendae magis anceps esse in scriptoribus, quamquam bonis, at non usque quaque tenacibus accurate loquendi legis, quam in antiquissimis graecis et latinis, quorum aetate nihil dum usus mutauerat in exquisita illa loquendi ratione, eamque rem facere, ut saepissime non licet cum fiducia in illo iudicio versari. Enimuero, quantopere oratio N. T. recedat a perfectis illis graecae orationis exemplis, *Platone*, *Xenophonte*, *Demosthene*, similibusque, et *Origenes*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, ut recentiores mittam, dixerunt, et ipsis vident, quicunque bene graece intelligunt. Itaque nonnulli Canones Critici, quibus in libris humanis antiquioribus er melioribus utimur, conuersi adeo sunt in his sacris: veluti is, quem certissimum purant, cuiusque auctoritate in ceteris libris graecis et latinis permulta lectiones locum suum obtinent, ut e duabus lectionibus ea, quae rectior et exquisitor sit, praferatur ei, quae magis vulgaris et, aestimatione grammatica, deterior sit: id quod olim cum aliis *Origenes* vidit, quos magno numero commemorat *Wetsteinus* Can. VII. et *Fraenius* ad 1 Cor. XV, 51. probante *Ioh. Gerardo Loc.* Theol. de resurr. mort. §. 117. post hos nuper *Pfaffius* et *Bengelius* VV. CC.

§. VIII.

Quae cum ita sint, non est mirandum, si nondum aliiquid in hoc genere praceptorum Criticorum, de Variis Lectionibus vniuersis, et earum delectu, proditum habemus, in quo non multa desideret, qui sit usu rei Criticae tritus. Non dicam de *Maastrichtianis* Canonibus, quibus vulgo aciescant, cum ne numerari quidem debeant: adeo falsi sunt, et vagi, et perturbate positi, qui ad apparatum Criticum pertinent, qui autem ad delectum spectant, inutiles. Magna cum diligentia

ligentia atque etiam verecundia in hoc genere praecessorum versatus est Bengelius, ὁ μακεδόνης, in primis diligenter usum Codicium MSS. Patrum, et Versionum Canonibus conatus definire: sed in delectu lectionum lapsus est vir eximius, primum Codicis Alexandrini reuerentia, in quo ille non videbat esse graecum contextum ad versionem latinam innumeris locis refectum, deinde negligenta rerum et verborum, solis stare iubens iis, quos de libris eorumque auctoritate scripsérat, Canonibus: cum lectionis antiquitas sine bonitate, quae sensu et grammaticis praecesis aestimatur, valere non possit, aut debeat. Quid dicam de Wetstenio? qui cum regnare in hoc genere voluerit, tamen nullo modo satisfacere potest, non dicam imperitis, et huic Criticae rationi propter insectiam prorsus inimicis, sed intelligentibus. Nam ut mittam, esse pauciores, et non satis discrete positos: quam vagi et parum definiti, atque hanc ipsam ob caussam inutiles sunt hi (n. 17. 18.) *Lectione quae vetustior esse probatur, ceteris paribus, preferenda est: Lectione plurium Codicum, ceteris paribus, preferenda.* Etenim illud ceteris paribus obscuram rem et incertam reddit, efficaciter, ut nihil aliud dixerit, nisi hoc: *Lectione vetustior et plurium Codicum interdum preferenda est, interdum negligenda.* Quo quid potest esse futilius? Quid? quam audax ille et temerarius est? (n. 19.) *Nihil prohibet, Lectionem, a typis edita et vulgo recepta diuersam, in textum recipere, non tantum vbi idoneis argumentis asserti potest, verum etiam vbi adhuc dubitatur, utra vtrum sit preferenda.* Quis enim non videt, quanta porestas detur hac lege cuiusvis vel libidini vel insectiae in contextum vulgatum, quae nec in humanis libris ullo modo conceditur.

§. IX.

Omnium, quos quidem cognoverimus, optime in hac ratione vniuersa versatus est C. M. Pfaffius, illustris doctrinae Theologus (*de Var. Lett. N. T.*) Nam et utrumque genus praecipiendi distinxit, et praecessa lectionis deligendae scripsit bona sane et utilia. Sed tamen, si quis ad usum ea conferre conetur, qui in hoc indicandi genere aliquid facultatis et ἀγριωτιας exercitatione consecutus sit, interdum sentiat se destitui. Quod sit hac de caussa, quod ea praecessa interdum non satis sunt definita: quae tamen res vna maxime praecessa omnium rerum ad usum apta reddit. Neque enim sine exceptione verum est, quod primus statim Canon sancit, ut *lectione vetustiorum Codicum aut plurium preferatur lectioni recentiorum aut pauciorum.* Nam recentiores Codices interdum e melioribus exemplis ducti sunt, quam veteriores,

10 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

stiores, praesertim in his, de quibus nobis sermo est, libris, quorum vetustissimus quisque Codex fere est ad versionem latinam refitus: et in omni genere librorum saepe vnius Codicis lectio praefertur recte lectioni ceterorum librorum omnium, ut sciunt, quicunque aliquem ysum rei Criticae habent, et vel in uno vetere scriptore cuiusque lectionis fontes indagarunt. Neque satis circumscripte praecipiuntur ista (n. 3. 5. 6.) *allegationes Patrum, textus hebraicus V. T. versio Septuaginta viralis saepius ostendunt genuinam lectionem:* e quibus certe nemo aliquo in loco audeat cum fiducia decernere. Neque enim characterem veritatis exhibent certum, cuius velut ansa deprehendi ea quoque loco possit, sed meram aliquam generalem, ut hoc verbo vtar, possibilitatem verae lectionis per eas vias reperiundae declarant, quae in nulla re ad agendum, ad iudicandum, ac decernendum, sufficit. Quod si C. B. Michaelis, Theologus primarius, vniuersam rem suscipere et explicare voluisset, esset fortasse, ut haberemus, quod parum a perfectione abesset. Nam in libello, quem *de Variis Lectionibus N. T.* ante hos seprem annos edidit, de variarum lectionum fontibus, et singulis lectionibus per se iudicandis et aestimandis, ita diligenter rem egit, praesertim in parte ea, quae est de Codicibus et latina versione interpolatis, itemque de lectionibus Versionum, cum omnium, tum maxime Orientalium, ut omnes superiores longe superauerit. Enimuero cum partem huius criticae praeceptionis alteram, difficilioremque, quae est de comparatione generum lectionis omnium, deque delectu et iudicio in singulis locis, qua adiuti possemus de veritate lectionis iudicare, et refellere male iudicantes, eam igitur partem cum non attigerit, ne hoc quidem quamvis praeclaro libello res est confecta.

§. X.

Quod si haec quoque pars ita diligenter et definite scriptis legibus constitueretur, ut nihil desiderare idonei iudices possent: tamen multae et magnae difficultates relinquenter in ipso praeceptorum vsu, qui semper longe difficilior est praeceptis ipsis. Nam haec praecepta tamen versantur in re coniecturali, neque eam necessitatem habent, ut non interdum ab iis discessio facienda sit. Atque etiam in hoc iudicio, ut in ceteris scriptoribus antiquis, sic in his diuinis, desideratur naturalis quedam *ayylicia*, eaque hominis probi et veritatem amantis, lectione et vsu multo adiuta, quam prope plus valere purem canonum subtilitate. Ea autem quam raro contingat hominibus, quam a paucis, si contigerit, eo quo diximus modo, alatur et acuatur, quis ignorat?

rat? Quid? quam saepe turbas facit et molestus est suscep^tae cuiusdam falsae opinionis amor, quam dum dimittere nolunt homines, vel in rebus manifestis aut coecutiunt, aut argurantur, omni modo ad eam accommodare omnia tentantes, vt in *Wetstenio* nuper, multisque aliis saepe vidi. Dissident etiam plerique hominum ab semper ipsis, in singulis locis repudiantes, quod praecepsis vniuersis probarant, aut vniuersi reiicientes, quod in multis locis ipsi sequuntur. Quibus rebus omnibus, aliisque pluribus, quae commemorare supersedemus, efficitur id, quod volebamus, vt in nullo alio libro aequ^e difficilis sit de lectione accurata *relegi*, quam in his sacris.

§. XI.

Alteram boni interpretis munus, quod praecedat interpretatio- *Intelligendē*
nem ipsam, facimus *intelligendi* quandam *subtilitatem*, cuius haec vis *subtilitas dif-*
ficilis. est, vt ne decipiatur in eo, vt se intelligere putet, quae non intelligat, sed ubique plane videat, an satis intelligat verba diuinorum auct^rorum. Ea ducitur partim ab *éuΦονη* et ingenii dexteritate: nam vt quisque est natura stupidor, ita facilius sibi videntur intelligere, quae non intelligit: partim ab diligentia et consuetudine discernendi sonos verborum ab eorum potestate, quae non et ipsa aliis verbis, in primis aequ^e obscuris, aestimetur, sed conscientia idealium animo obuersantium. Haec subtilitas intelligendi vniuersa quomodo comparetur, et quibus exercitationibus teneatur et acuatur, in Dialecticis praecepimus, in libris autem legendis, qui lingua non vernacula, praeſertim antiqua et ex vsu vitae sublata, scripti sint, quomodo ab ea parte fraudem cauere, et cerro scire possimus, an intelligamus nec ne, quamquam etiam praecepsit, tamen maxime vsu assiduo et exemplis docemus, quae est via planissima atque certissima. Nunc autem praecerta non scribimus. Sed haec intelligentia perdifficilis est in comparando, vel propter exercitationis difficultatem, quae obicitur ex insita ingenii humani imbecillitate, omnia ad sensum reuocandi, et naturali tarditate, in animo ab sensibus, hic quidem, aurium auocando, et ipsis exemplis rerum animo contuendis. Itaque subinde etiam doctissimis accidit, quod *Caubono*, vt alias dixi: qui si querebatur saepe deceptum esse in hoc genere, cum ea, quae facillima intellectu esse putarant, et a se plane intellecta, non intellecta animaduerterit tum, cum planis et perspicuis verbis eorum sententiam aliis explicare tentaret. Hoc si accidit doctissimis et in eo genere exercitatissimis, quid eueneruntur putamus vix mediocriter doctis, et parum ad hanc subtilitatem exercitatis, quales sunt plerique, qui hoc librorum sacrorum interpretandorum negotium

12 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

attингunt? praeſertim cum alia et propria causa accedat ex eo, quod facilius nobis hic persuademus, a nobis intelligi, quae non intelligimus, propter familiaritatem, quam aures cum foniſ verborum a pueritia contraxere. Atque etiam vehementer luminibus officit graeca latine ad verbum vertendi confuetudo, contra confuetudinem bene, h. e. perſpicue, latine loquendi, quae in versionibus latinis graecorum ſcriptorum tolerata olim, cum nondum longe progreſſi eſſent plerique graecarum literarum scientia, hodie prorsus repudiata, (quis enim ferat *βῆν Ήερκλεῖην, μέτρα θαλάτσας, χλωρὸν αδαμαντα*, verti vim Herculananum, mensuras maris, viridem adamanta, quae olim in versionibus erant, et innumera his similia) adhuc non dicam toleratur, ſed prope conſecrata putatur in libris ſacris. Vnde fit, ut diſſicillimum ſit, ſibi ab iſtis fraudibus cauere. Millies amplius hoc expertus ſum in iuueniibus boni ingenii, nec rudibus literarum, cum locum aliquem graecum interpretati eſſent, verbum de verbo vertendo ex auctoritate Lexici, et aut bene latine dicere iuiffiſſem, quae intelligere ſe putarent, (neque enim certius ſignum eſt non intellectorum verborum, quam, fi qui non poſteſt alia lingua, quam calleat, bene exprimere, v. c. graeca non bene latine, *) aut alia interrogandi veluti tormenta ingenii eorum admouifſem, quam tarde homines in talibus redigerentur eo, vt ſe non intelligere ſentirent et faterentur, quod praecolare ſe diſdum intellexiſſe crediderant. Quorundam etiam locorum interpretationes, etiſi non alienae a ſumma doctrinae Christianae, falſae ramen, et parum accuratae, ita vulgatae ſunt, vt hominibus vulgo non veniat in mentem dubitare, quin planiſſime intelligent: in quibus ſane diſſicile eſt, animaduertere incitiam ſenſus veri, cum perſacile fore, ſi facile eſſet animum a confuetudine diurna liberare.

§. XII.

Difficultas pure graeca discernendii non pure græcis.

Sequitur bene graecorum ab iis diſcernendorum facultas, quae confuetudinem hebraicam imitantur, vel in ſingulorum verborum ſignificatione, vel in coniunctis et vniuersa orationis forma. Nam genus orationis in libris N. T. eſſe e pure graecis, et hebraicam maxime confuetudinem referentibus verbis formulique dicendi mixtum et temperatum, id quidem adeo euidens eſt iis, qui ſatis graece ſciunt, vt plane misericordia digni ſint, qui omnia bene graeca eſſe contendant. Eius autem muneris neceſſitas maior eſt, quam vulgo videtur. Nam,

vt

*) Bene Caſtellio ad 1 Petri IV, 6. hunc locum non intelligo, ideoque ad verbum tranſlati.

vt non dicam, crisi eam, de qua ante dixi, sine hac crisi saepenumero recte procedere non posse: *) interpretationes exoriuntur saepe mirabiles, contortae, atque etiam noxae, vt praecclare vidit *Werenfelsius*, Theologus Basileensis nuper, elegantissime doctus, (Opp. Theol. p. 358.) si, quae ex hebraica consuetudine dicta sunt, e graeca intelliguntur. Alio loco reprehendimus eum, qui δῆλον Ἰησός χριστός ex Institutionibus Iustiniani interpretatus erat, cum ministrum Christi, legarum, ex hebraismo significet, per quem ducas belli et imperatores, Consiliarii principum ac regum, eorum δῆλοι vocantur, itemque eos, in Anti-Muratorio, qui φέβον graeco sensu acceperant, vbi ex hebreorum more de reverentia et modestia dictus erat. Verba ἀδελφῶν γυναικῶν in prima ad Corinthios epistola IX, 5. si e linguae hebraicae consuetudine de vxore Christiana intellexerat, et sic in versione latina expressa fuissent, quantum mali vitatum fuisset! Nunc cum Graeci e sua loquendi consuetudine acciperent (*Clemens Alex. Strom.* III. p. 448.) pariterque latini, exorræ sunt et inualuere συνεπάκτων, frustra se opponentibus probis, velut auctore libri *de singularitate Clericorum*, qui inter *Cypriani* libros editur, qui *fratrum sororumque* nomine feminas ad libidines suas tegendas abuterentur, quod malum etiam Conciliorum decretis corroboratum, sero demum oppressum est: de quo late egere *Dodwellus Diff. Cyprianic.* III. et *Muratoriuss* peculiari Disp. in Aneed. Graecis: qui p. 230. recte coniicit, id malum e prava Paullini loci interpretatione natum esse. Et eorum generum sunt multa, quae hic commemorare non finit institutum nostrum: quod difficultatem rei, non necessitatem explicare iubet. Itaque admonuisse hoc loco sufficerit.

§. XIII.

Sed hoc iudicium perdifficile est duabus maxime de causis: quarum altera est, quod perpauci eam graecæ linguae facultatem habent, vt, quid pure graecum sit, iudicare possint. Neque enim est eiusmodi, vt comparari possit breui illa et plerunque parum accurata in-

B 3 stitutione

*) *C. M. Pfaffius V. Cel. de Var. Lect. N. T. p. 196.* illustraturus Canonem: *Lectio, quam contextus requirit, est approbanda, assert exemplum e Matth. V, 47. Ἐάν ἀπάντας τοῖς ἀδελφοῖς ὑπὸ μόνον: vbi libri quidam exhibent φίλους.* Ipse iudicat ἀδελφὸς praeferendum: bene: sed propterea, quia iam v. 46. de amicorum amore dictum: quamobrem φίλοι hic locum habere nequeant: cum dicendym esset, φίλοι redolere glossam hominis, qui verbum hebraica significatione positum interpretari voluerit.

14 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

stitutione in scholis iis, vnde ad maiorum disciplinarum studia veniunt adolescentes; in qua tamen plerique acquiescunt. Familiaritas quae-dam cum gracie scriptoribus contrahatur necesse est, eaque interior, quae ad linguae eius indolem, et quoad singula veluti membra, et quoad structuram copulationemque membrorum, penitus spectandam cognoscendamque aditum concedat. Ea vero quam post longum de-mum tempus atque vsum affidum derur, sciunt omnes qui eam con-traxere. Quod si quis vel maxime tantum scientiae consecutus sit, ta-men multum difficultatis relinquitur ex alia caussa. Hebraice, graece-que doctissimi fuere in vetere Ecclesia, id quod omnes sciunt *Origenes* et *Hieronymus*. Et tamen vterque in hoc genere saepe parum acute vidit, quod intelligitur e Commentariis vtriusque et Scholiis veteribus in N. T. quae maximam partem ex Origenianis σημειώσεσι, quae nihil erant, nisi Scholia brevia ad sensum literalem explicandum per-tinentia, fluxerunt, itemque e *Chrysostomi* commentariis, ex eodem haud dubie fonte natis: in quibus multa et graeca consuetudine expli-cantur, quae ab hebraica repetenda erant. Quam multi post renatas literas, et editos graecos N. T. libros, in hoc laborarunt, vt, quae ex hebraica lingua ducta essent in verbis formisque loquendi, libris et Commentariis prodita explicarent: in quo etiam interdum excessisse modum putantur *Drusius*, *Grotius*, *Gatakerus*, *Vossius* et alii, ab hebraica consuetudine repetendis, quae bene graeca essent, idoneisque auëtoribus usurpata. Et tamen doctissimis viris visa res est nondum exhausta, (v. *Werenfelsius* l. c.) multaque profecto supersunt, quae e graeca ratione accipiuntur, cum ex hebraica debeant. Ille ipse *Ca-stellio*, hebraice, graece latineque doctissimus, qui N. T. libris pura latinitate exprimendis tantum sibi quondam inuidiae contraxit, existi-maturque etiamnum interdum excessisse modum in puritatis conserua-tione, tamen non vno loco graecam verborum potestatem pro hebraica nobis expressit, vbi nec nouitas rei, graecis ineognitae, nec charakte-ris conseruatio, aut argumenti ipsius ratio postulabat, vt in verbis κόσμος, εἰγήνης, Φέβρ., σαρκός, πνεύματος, ἐνλογῆς, et aliis plu-ribus. Quod et ipsi et aliis nulla alia, vt opinor, de causa accidit, quam propter assueritudinem diuturnam e veteris latinae interpretationis, librorumque a veteribus pariter ac recentioribus Theologis scriptorum lectione. *Tanta vis est consuetudinis*, inquit *Augustinus* de verbis et locutionibus sacrarum literarum ignotis praeciپiens (de Doctr. Christ. II, 14.) vt qui in Scripturis Sanctis (de latina interpretatione loquitur) quodammodo nutriti educatique sint, magis alias locutiones mirentur, eas-

que

que minus latinas putent, quam illas, quas in scripturis didicerunt, neque in latinae linguae auctoribus reperiuntur. Eadem ergo consuetudo facit, ut in verbis permultis hebraismum non facile, nisi valde attendamus, in eoque multum nos exercuerimus, aduertamus, nec perspicue cogitemus, aut saltem latine exprimamus, quod menti diuinorum scriptorum primorumque lectorum obuersabatur in ipsis verbis, sed quod Graecis, hebraismi expertibus. Vnde saepe oritur aut obscuritas, aut ambiguitas inutilis, ut bene vidit idem ille *Augustinus* in praestantissimo de Doctrina Christiana libello II, 13. 14. bono interpreti maxime cauenda.

§. XIV.

Hanc difficultatem excipit alia, eaque maxima, quae occurrit in *Sensus indeco*, si vtriusque generis, et pure graeci et semihebraici vim veram et gatio a) in potestate interpres indagare per usum loquendi, ḥvadoryay linguarum, bene graecis aut alia Grammaticorum artificia, instituat: quae ratio cum tota referatur ad usum loquendi, qui observationibus prope innumerabilibus continetur, vel sic intelligitur, quanta hic difficultas omnibus veterum librorum interpretibus proponatur. Sed nobis iam de N. T. interpretatione disputatio est. Non est necesse, multa dicere de pure graecis, quorum intelligentia non nimis difficilis est ei, qui eius linguae scientiam idoneam attulerit. Atque etiam non admodum multa sunt in hoc genere, quae non studio et diligentia Interpretum et Philologorum explicata et illustrata sint; si quis modo iudicium adhibere possit, et bona a malis aut inutilibus discernere. Etenim non est negandum, inter eos, qui libros N. T. e libris Graecorum illustrare conati sint, esse perpaucos bonos, et cum Raphelii diligentia et iudicio comparando, in quo tamen ipso multa non probem, plerisque hanc partem aggressi, qui aut non satis docti essent, aut quid virile ad intelligendum, quid inutile, quid conueniret verbis sacrorum scriptorum, quid abhorret, non satis eleganter iudicare possent, sed quicquid qualecumque cum aliquo verbo aut genere dicendi coniunctionem haberet, in Commentarios referentibus: vnde mihi saepe accidit, ut totis voluminibus, etiam Elsnerianis illis, perlectis, oppido paucas observationes me reperisse intelligerem, quae vere ad intelligendum prodeissent, cum certa in Lexicon potius coniici, quam pro interpretationibus, aut observationis ad intelligendum interpretandumque virilibus poni debuerant. Haec ipsa cum scriberem, aliqua de causa consumenti Wetsteini Var. Lest. in primae Petri epistolae III, 21. incidit in oculos nota ad praecedentis commatis verba: εἰς ἦν (κιβωτὸν) ὀλύμπιοι ψυχαὶ διεσώθησαν.

16 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

σάθησαν. Ecce Philologus longam satis notam addidit ad illa verba illustranda, in qua posuit plurima loca talia, in quibus forma haec occurrit, διατύπεσθαι εἰς τόπε� τωδε· quae emnia sunt aliena et impeta. Nam in iis hanc vim habet, e periculo seruatum in locum aliquem peruenire, cum Petrina verba significant, in qua arca perpauci homines seruati sunt. Et eius generis prope innumerabilia in isto opere, alisque similibus notauit. Igitur in hac quidem parte prope maior difficultas futuro interpreti exoritur a male sedulis scriptoribus, quam a verbis sacerorum librorum ipsis. Et quoniam in hac parte etiam Glossariorum veterum quidam vſus esse putatur: inde quoque difficultas quedam nascitur, quod eorum; vt in omnium veterum librorum, sic in N. T. interpretatione, multas et magnas cautions habet: de quibus quoniam satis dictum est in Diatribe nostra de Glossariorum Graecorum in interpretatione etiam N. T. legitimo vſu, eadem hic differere nihil attinet. Sed maiores tamen et plures sunt in indagando sensu eorum, quae non pure graeca sunt, quorum vis et significatio ex hebraicis fere literis peti debet.

§. XV.

b) in hebraicis, per versionis τῶν ἁγίων comparatio-

nem.

Etenim sensus ita indagandi primaria et latissime patens ratio est ea, quae versionis V. T. graecae, quam Alexandrinam appellamus, comparatione vtritur. Nam ea fere docet, quibus verbis græcis exprimi confuerint iudaicæ nationis ac religionis homines vocabula et loquendi genera hebraica, quae quidem in hebraico sacerorum librorum Codice occurunt: unde eruditissimi viri hinc maxime dictio[n]is græcae, in N. T. usurpatae, intelligentiam petendam iudicant ac demonstrant: fatendumque est, ab eo tempore plurimum lucis ei esse affusum, ex quo hinc eius intelligentia et interpretatio peti coepit, eoque nomine Grotius laudatur merito, qui in ea quidem boni interpretis parte omnes superiores longe superauit. Sed in ea ratione multiplex difficultas ineſt, praesertim in principio, et si quis in hoc genere rerum, in interpretando, et notionibus verborum inuestigandis, non sit bene tritus, aut cupiditate aliqua opinionis alicuius defendenda, et antecaptis sententiis imburus accesserit. Itaque saepe eruditissimi viri in ea persequendarum significationum ratione, interdum etiam turpiter, lapsi sunt. Id quam saepe acciderit *Dan. Heinsio* in Exercitationibus sacris, et *Salmasius* multis exemplis, quae saepe vix sine risu cognoscere licet, in libro de Foenore trapezitico, v. c. pag. 805. docuit, et talibus iudicandis idoneus lector facile ipſe notabit. Et fuit in *Heinsio* illo summa doctrina, sed ingenium difficile ac durum, quod eius viri inter-

interpretationes prope omnes redolent, nescio quid contorti habentes, quo oculi prope ipsi mihi saepe doluerunt. Atque similia, et si parce ac raro, excidisse etiam iis, qui alias recte vti essent, animaduerti.

§. XVI.

Eius rei caussae sunt sene multae et variae. Primam numeraruerim hanc, quod nondum quisquam, quod sciām, huius comparationis artificia, et inde eruendarum significationum modos, leges, cautiones, distincte et definite explicauit. Nam et si magna ingenia, et in interpretando valde exercitata, non desiderant praeceptorum auxilia: tamen iis valde opus habent mediocria, aut quecunque non possunt prope toti in interpretando esse. Atque equidem non ignorō, in eorum libris, qui ea ratione bene vti sunt, maxime in *Gatakeri* praeclaro aduersus *Psochenium* opere, cui in hoc genere primae debentur, quasdam obseruationes hue pertinentes, easque verissimas et utilissimas, reperiri, quas mihi profuisse libens fareor: ceterum nec sufficientes sunt, nec quisquam eas in unum locum collectas et supplementis necessariis auctas dedit. Nam qui de utilitate ac necessitate versionis illius ad *Qēōtōn* N. T. intelligendam dixere, ut *Pearsonius* in Paraenesi, Versionis Alexandrinae editioni Britannicae praemissa, *Keuchenius* in praef. Annot. ad Eu. et A. A. *Michaelis ē managītōs*, sive *Henkius*, in peculiari Commentariolo Academicō, aliquę, quos nos quidem cognouimus, nihil aliud egere, quam vt eam utilitatem exemplis quibusdam demonstrarent. Enimvero non multi sunt, qui exempla reuocare possunt ad praeceptorum subtilitatem, et ex iis uniuersam rei bene administrandae rationem colligere. Sed est hoc prope totius vulgaris hermeneuticae vitium, vt magis decreta de natura et sensu verborum in genere, quam praecepta sensus inueniendi et diuidandi proponat, aut per exempla rem expedire tenteret, in quibus sine certis et perspicuis praeceptis nihil certi est. Itaque speramus nos de studioſis sacrarum literarum bene merituros, si eam rem accuratius expediemus: quod faciemus in Isagoge ad Interpretationem N. T. quam D. V. edemus.

§. XVII.

Alia caussa, valde lubricam hanc comparationem et difficilem efficiens, est in modo interpretandi, quo Alexandrini illi subinde sunt vti, etiam vitiis, sive ab varietate lectionis, quae vel in Codice ipsorum, vel ingenio esset, sive ab inficitia eorum natis. Qui versionem illam graecam diligenter cum hebraico exemplo contulerunt, primum ignorare non possunt, interpretes illos saepe vase expressisse verba hebraica,

18 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

contentos, vt cunque sensum reddidisse. Ea res multos saepe decepit in hac comparatione, et consuetudinis N. T. inde cognoscendae studio. Vnde ortae sunt interpretationes contortae et frigidae, nee vlo modo probanda: in quas tanto facilius incidit quisque, quanto est huius artificii usurpandi, et hinc aliquid lucis adferendi N. T. Φρέστε cupidior, vt ille φιλόθηγες, qui cum feras venari non posset, muleas insidiis capitabat. Exempla nobis suppeditet, qui in hoc genere saepe peccauit, Keuchenius. Formam **בְּנֵר** vel **סֶגֶר** oī ḥ modo συγκλείεν ἐν χειρί, modo παραδίδεναι εἰς χεῖρας verterunt. Quid inde ille? Nempe verbum παραδίδεναι Actor. VIII, 3. παρεδίδεις εἰς Φιλαρκήν, non modo tradere significat, sed etiam includere. Iob V, 21. in **מִשְׁׁאַר** a **vafslatione**, gracci interpres genus expessere **אַתָּה** **חֲנוֹן**. Ergo Act. IX, 13. in verbis ὅσα νανὰ ἐπολησε τοὺς ἀγόριους, νανὰ significat **vafslationem**. Ps. XLIV, 27. **דְּבָרָךְ** vertitur ἔνοψι σθ, et Es. XLII, 4. **לְחוֹרָה** ἔνεμαν **אַתָּתָּה**. Quid ergo? ἔνεμα θεῖ signifiat benignitatem et misericordiam diuinam, itemque religionem et cultum Dei, et doctrinam de Deo, Euangeliū, Act. IX, 15. 16. XXVI, 9. (pag. 60. 174.) In 2. Paral. XXXVI, 1. verbo: **וּמְלִכָּה** regem eum creare, in graeco respondent: Καὶ ἔχεισταν αὐτὸν τὴν κατέστοι αὐτὸν βασικήα. Inde mirifica exundatur obseruatio ad verba Act. II, 36. Χειστὸν αὐτὸν ἐπολησε. Vox Χειστὸς notat, inquit, εὐευτον ad summam i.e. regiam dignitatem. In quo deceptus est etiam negligencia comparandorum librorum, qui docent, illius loci lectionem esse incerram: cum Alexandrinum exemplum habeat solum ἔχεισταν αὐτὸν εἰς βασικήα. Libri antiqui variasse videntur inter ἔχεισταν et κατέστοι: vnde factum, vt virtuque lectio in contextum veniret, quod genus, διττογεφέμενα vocamus, saepe in libris antiquis occurrit, atque etiam in hac versione, in qua interdum integri versiculi duplex et diversa interpretatio reperitur. Et, vt hoc obiter addam, quosdam mirifice in hac ratione deceptos vidi ex eo, quod varierat enim exemplorum non inspicerent. Subinde gracci illi **קְנֻעַ** et **בְּקֻעַ** vertiunt **πεδίον**. Inde nos Keuchenius iubet credere, Luc. VI, 17. τόπον πεδίον esse vallem: quod esse potest, sed non est necesse: nec satis argumenti est in illa τῶν ὁ ratione, cum omnis vallis πεδίον dici possit, non statim omne πεδίον sit vallis. Vnum addamus, Eccles. VII, 18. **בְּכַבֵּד** in graeco sibi respondens habet verbum σκληρός: in quo illi aberrarunt, toto contexto desiderante stultitiam atque stuporem: quippe τὸ καύ τοι **σκληρία**, e contrario responderet praecedenti, ne nimis sapiens esse velis: nisi σκληρός ε μωρός factum est librariorum fraude. Ecce noster, eo loco

locū fretus, Matth. XXV, 24. vbi seruus Dominum appellat σκληρὸν ἀνθερπόν, etiam stultitiam Domino obici statuit. Enim uero Kērchenius ille, vt e praefatione opusculi pater, viderat viam viuieram huius artificii, sed diuerticula, quae habet illa non pauca et fallacia, non cauere didicerat, et forte etiam ab ingenii quadam difficultate debilitabatur. Sed huius generis vitiis in eo, de quo ante dixi, *Heinsio*, aliisque permulta animaduerti.

§. XVIII.

Quod si in locis sanis, et sensum hebraicorum vteunque seruantibus, consuenudinis interpretandi insectia homines decipit, quid futurum putamus in iis, in quibus interpretatio ab exemplo hebraico aberrat quacunque de causa, id quod permultis locis fieri, nemo est, nisi plane in hoc genere rudis, quin sciat. Atque eam difficultatem augent eae, quas Concordantias vocant versionis illius, quales Kircheri et Trommij opera congestas habemus: in quibus se profitentur hoc etiam egisse, vt vsum illius versionis in interpretatione N. T. adiuarent. Etenim illi hoc perinepte fecerunt, vt eis omnia interpretum talia peccata inferrent; quae aut semouenda erant penitus, aut separatim ponenda, vnumque in locum congerenda, ne fraudi essent iis, qui tali de causa eos indices consuluerent. Quod est in *Trommio* hoc magis reprehendendum, quod ille in praefatione p. 5. profiteretur, se ea, quae cum hebraicis plane nihil commune haberent, sed aut merae paraphrasessent, aut plane alium sensum funderent, tanquam ἄποστολα praetermisssae: cuius professionis veluti insidiis quam facile minus exercitati ac periti capi possunt, cum talia sint in illo opere prope innumerabilia: vt sub verbo ἀδίκως, רָבֶשׂ, בְּלוּ רַבּוֹשׂ, תְּמִימִים, עֲזִיזִים, sub τῷ ἀδικοῦ, רְבָר (e. Gen. XLIX, 8. bene graece ille locus vertendus erat μηδ ἔτιν, οὐδὲ quicquam feceritis istis viris: ὁ δὲ sensum secuti, expressere μὴ ποιῶντες ἀδικοῦ) sub παρεῖσος, ἔτι, cum graecum ei vocabulo respondeat loco tantum, non sensu, et interpres aliud habuerit sive in libro, sive in animo verbum, aut sensum tantum vteunque voluerit exprimere, sive ἐξηγητων illud παρεῖσος vel ipse addiderit ex aliis Psalmorum locis, vel e marginis notula librarius. Atque ego notaui, talibus aliisque Kircherianarum Concordantiarum peccatis, velut e vitiis editionis Francosurtensis, in fraudem inductos esse doctissimos viros, quos nominare non est necesse,

§. XIX.

Atque etiam interdum conturbatos vidi egregios viros a varietate interpretandi. Etenim Interpretum illorum inconstancia haec fuit,

20 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

vt hebraica interdum bene graece exprimerent, interdum ad verbum h. e. iis græcis vocabulis, quæ maxime, aut proprie, verbis hebraicis responderem viderentur, vt cum ἡράρτιον esset maxime id, quod Græcis δικαιοσύνη, id verbum eodem vocabulo expressere, vbi hebraicum aliter positum erat: de qua ratione dupli iam a nobis est monitum in profusione de difficult. Int. N. T. p. 13. Haec duo genera non facile est plerisque accurate discernere. Vnde fit, vt v. c. δικαιοσύνη græcam teneant, vbi hebraica, veluti benignitas, beneficium, intelligenda erat. Ex quo eadem virtutis oriuntur, qua ea verbi huius græci ratio in N. T. interpretatione interdum gignit, eadem versionis huius ad intelligenda N. T. verba conferendas difficultas existit. Non piget proponere exemplum aliud in quo tamen nihil hebraici moris intent, si forte loco insigni aliquid lucis affundere possimus. In 1 Cor. XV, 55. verba πεπονίας θάρατος τὸ κέντρον; πεπονίας φόνος τὸ κέντρον; quea sunt ex Hos. XIII, 14. mirifice torserunt Interpretes, quod ea cum hebraica pariter atque græca Alexandrinorum Interpretum consuetudine non satis accurate conferrent. Dicam de uno verbo κέντρον, quod e Græcorum more vertunt stimulum, cum ex Alexandrinî Interpretis consuetudine debeat plagan, vel perniciem, exirium. Nam exprimit apud Hoseam καρκίνον quod hanc vim habet. Atque in eodem Hosea V, 12. idem verbum exprimit καρκίνον, quod est proprius putredo, putrefactio: vbi contextus facile docet, dici de morbo exitiali, qui sanari non potest, estque adeo dictum ibi, de pestilentia, aut re simili. Atque etiam τὸ κέντρον mox respondeat κόλυνη, vbi in hebreico est מְזֻרָה purulentum et insanabile vulnus vel vices. Idemque verbum καρκίνον alibi Deuteron. XXXII, 24. veritutur morsus insanabilis, quo verbo vñus est Vulgaris apud Hoseam in voce κέντρος. Act. XV, 10. iunguntur σάτως et συζήτησοι. Poterant prædæsse ei δέ, qui per σάτων exprimunt interdum καρκίνον. Sed bene græce cum id verbum acciperent, nihil proderat. Itaque codex Bedæ, et versio vulgata plane omisere alterum νοῆσι συζήτησεως: nempe, quia seditioni non conuenire putabant disputationem. Sin σάτων hebraice accipere potuerint, pro altercatione, nihil difficultas fuisset.

§. XX.

c) in usu librorum Iudaicorum versionum Orientalium et SS. Enimvero in ista comparatione est una tantum via sensus verborum indagandi, latissime illa quidem patens, sed plures comites desiderans. Neque enim omnia licet per hanc viam inuestigare, quae non e bene græcis explicari possunt. Itaque adhiberi coepit sunt Patrum. primum libri Iudaici, in primis antiquiores et meliores, vt ex iis deligerentur

gerentur, quae reliquis lucem affunderent, sed viri praestantissimi, qui in hoc genere elaborarunt, quorum principes haud dubie sunt *Lichtfotus* et *Schoetgenius*, dum omnia congerunt, rem etiam impec-
ditam fecerunt. Neque enim cuiusvis est in hoc delectu accurate ver-
sari. Sunt etiam versiones orientales consultae, ut a *Lud. de Dieu* in
Critica sacra, et aliis: quarum comparatio quam difficilis sit, tum per
se intelligitur, cum diffensus doctorum hominum argumento sunt. Et-
iam in Patribus Graecis antiquioribus sparsa quedam sunt, unde lu-
cem capere ista talia verba aut loquendi genera possunt: qualia qua-
dam *Grotius*, qui nullam interpretandi viam ignorabat, Commenta-
riis suis adspersit. Nam primis illis Ecclesiae temporibus, cum vulgo
adhuc intelligenter libri N. T. formulae eorum dicendi quedam, et
verborum quorundam usurpandorum mos, paullatim venit in reliquam
consuetudinem loquendi, unde iis usi sunt etiam scriptores, idque in-
terdum in tali contextu, unde vera significatio inrelinqui possit: qualia
nos quoque nonnulla inter legendum in *Clemente R. Ignatio*, *Hippó-
lyto*, *Theophiloto*, *Clemente Alexandrino*, *Eusebio*, *Cyrillo Alexandrino*,
et aliis notauimus. Vno exemplo defungamur. Petrus in altera epि-
stola III, 1c. 12. commemorat σοιχεῖα peritura in fine rerum: quae
de vocabularii indicio elementa verla sunt. *Grotius* verbo dixerat esse
astra et aquam. Ecce *Calouius* interrogat, quo argumento vinci possit
σοιχεῖα esse astra? Atque ego non dixerim, utrum *Grotius* hanc in-
terpretationem posuerit de conjectura, et contextu et natura rei ducta,
an usu etiam loquendi inductus, quod mihi fit probabilius. Magni
viri satis habent, quod rectum verumque sciunt, indicare, etiam sine
auctoritatibus ac testimoniis. Sed sunt loca SS. Patrum postea et ab
aliis prolati, et a me norata plura, quibus liquidum fit, σοιχεῖα olim
pro astris dicta; qui modus loquendi haud dubie ex illo Petri loco ve-
nit, quamquam et *Chrysostomus* et *Theophylactus* Gal. IV, 3. et Col.
II, 8. σοιχεῖα κόσμος de astris interpretantur, quod tamen ibi falsum est.
Iustinus Martyr Apol. II. p. 11. init. ἔρειναι σοιχεῖα haber, et in
Dial. p. 241. τὰ σοιχεῖα εἰν αἴρει etc. Sed ibi et aliis locis stulte ver-
tunt Interpretes. Apud *Theophil.* ad *Autol.* I. p. 22. sunt σοιχεῖα θεῶν
εἰς σημεῖα καὶ εἰς καρέας, καὶ εἰς ἡμέρας, καὶ εἰς ἐναυτέργενοντα,
et mox sol ἐλάχιστον σοιχεῖον dicitur, et similiter alibi. *Eusebius* au-
tem H. E. III, 31. vbi vid. *Vales.* et V, 24. insignes Ecclesiae doctores
σοιχεῖα μεγάλα vocat. *Eusebii* locum in *Polycrate* reperit *Hieronymus*
de Vir. illustr. c. 45. et verit pariter elementa: consuetudine ducta
e versione N. T. latina: quod improbat ibi *Fabricius* ὁ παναγῆς in

22 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

notis: at illius rei, et latinitatis Ecclesiasticae imperiti, philosophorum clementa hic repererunt. Vnde sidera σοιχέα dicta, varie rationem reddunt *Fabricius* et *Valesius*; quorum opiniones mihi non probantur. Quid si Petrus respexit ad מָסְרוֹת שָׁמֶן 2 Sam. XXII, 8. quod ego de coelo ipso et σοιχέοις ἀρχαιοῖς, de astris intelligam, non de terra et montibus cum vulgatis Interpretibus, aut aere cum *Coccio*, cui sane iunctum tremefaciendi verbum non fauet. Nempe מָסְרוֹת significat, ut opinor, quibus aliquid constat, summam rei. מָסְרוֹת אַרְצָה quae Deus delineasse dicitur Prou. VIII, 29. sunt partes terrae, quibus ea constat: et Ps. LXXXII, 5. nutare dicuntur מָסְרוֹת אַרְצָה h. e. conuelli ea, quibus respublica maxime continetur. Atque etiam Iudaeorum magistri elementa Philosophorum et initia rerum appellant verbis ab eodem fonte h. e. מָסְרוֹת יְסָדָה et יְסָדָה. Sed ad istas tales observationes multa lectione SS. Patrum, et magna attentione opus est. Neque enim quotidie aut statim in oculos cuiuslibet legenti, et non oculos animumque ad omnia intentum habenti occurruunt. Et quotusquisque hodie Patres legere cupit, in primis intelligendorum saecorum librorum causa?

§. XXI.

d) in analogia lingua-

rum.

In viis indagandae potestatis verborum formarumque loquendi valde commendare soleo, atque ipse usurpo in interpretando libenter analogiam linguarum: cuius etsi nulla dum praecepta, quod eisdem sciem, prodita sunt, tamen usurpatae a praeclaris librorum diuinorum humanorumque interpretibus exempla extant. Ea in his, quae aut ipsa dubia sunt et ambigua, aut interpretum vitio et inscitia, et opinionum pravitate, ambiguitatem contrarerunt et obscuritatem, comparatione vtrum, primum similium in eadem lingua formarum, in verbis pariter singulis et iunctis, deinde aliarum linguarum, similium inter se maxime et quasi cognatarum, tum etiam ceterarum. In unaquaque lingua eadem res variis modis exprimitur, et in verbis singulis, praeferimus, quibus attributa rerum, actiones et similia appellantur, et in formulis loquendi. In iis etsi non est perfecta ταυτολογία, tamen, quod discriminis intercedit, ita est tenue, ut ratio yix habeatur, aut id ad summam rei nihil interstet. Quis ergo non intelligat, talium comparisonem ad interpretationem plurimum prodesse, si ambigua vel ex se, vel e vicinia verborum, cum certis et claris comparentur, si loca scriptorum inter se conferantur, ubi res et oratio reliqua ostendat, idem actum, idem dictum alio verbo, aut aliis formulis. Sunt porro verborum quasi genera quaedam, quibus non eadem quidem res

res exprimuntur, sed modi tamen similes rerum, actionumque. Haec genera notata habere oportet, et, praesertim si qua dubitatio in aliquo verbo occurrat, referre id ad sui generis formam, ne falsum aut alienum, aut contortum et ineptum sensum verbo adfingas, ut in graeca lingua saepe accidit in verbis e praepositionibus *αντα*, *σὺν*, *πρό*, *περὶ*, *ἐν* etc. neue in aliquam inconstantiam incidas, et in similibus generibus diversa interpretandi ratione utaris, in quo saepe etiam boni interpretes peccant. Atque eius generis plura sunt in linguis, ad quorum *ἀνταρχίαν* referre interdum oportet verba in interpretando, ut vel inuenias sensum verum, vel illusores ac confirmes.

§. XXII.

Sed etiam est, ut diximus, analogia linguarum et comparatio inter se, ad interpretandum vtilis. Etenim in eam me opinionem et res et usus induxit, ut existimem, neminem facile in aliqua lingua antiqua, et ab his vernaculis nostris valde dissidente, excellenter versari posse, nisi unius et item alterius aliis antiquae scientiam luculentam adiunxerit: eamque arbitror esse causam, quare v. c. in hebraica in primis, oppido pauci probabilem facultatem consecuti sunt omni tempore, et in interpretando feliciter versati, quod plerique non modo Dialectos eius ceteras vel neglexere, vel admodum leuiter attigere, sed etiam literas graecas et latinas. Nam hi tori e Lexicis suis pendent, et hebraica, inde scilicet intellecta, cum vernaculis comparant, et hinc mirificas interpretationes, emphases maxime, eruunt. *Cocceius*, id quod e Commentariis eius, et vel e notulis, quae ex eius libro in *Iosephum Hauercampianum* illatae sunt, intelligi potest, et is, qui nuper Orientalis literaturae principatum habuit, *Schultensius*, graccis literis egregie docti fuere. Sed hoc obiter, iuuentutis admonendae causa, dictum sit. Quid est *סִירְבָּן רְגָלִים* planissime intelligi, si cum Graecorum *ἐν ποδῶν γεγονέναι* vel *ἀπιέναι*, de cuius sensu nemo dubitat, et cum latinorum *e medio discedere* comparetur, alio loco (de vestigiis hebr. linguae in lingua graeca) docui. Quid sit *πύγγος* apud Matthaeum XXI. nempe aliud, quam quod in vernacula nostra versione est, intelligat, qui contulerit cum latinorum *turribus* in villis ap. *Lijium* XXXIII, 48. quamquam et e *Luciano* intelligi potest, qui in Pseudologista c. 19. inter *κτίματα* numerat *πύγγον*. In verbo *πεπεμένος* Rom. VII, 18. nemo molestus nobis sit aduersarius, aut haeret quisquam, qui cum latino *addictus* comparet, quod proprio est de eo, qui venditus est alteri vel a se vel ab alio, deinde de eo, qui est alteri quacunque de causa obnoxius,

24 DE DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS

obnoxius, vt ab eo vexetur. Quamquam et ex hebraicis illa difficultas expediri potest. Quid sit ὡς διὰ πνεὸς, planum fieri e latinorum *ambus*, quod in simili contextu apud Ciceronem saepe reperitur. Talia sunt permulta in linguis, quae rati comparatione plane intelligi et bene illustrari possunt, eaque in literis hebraicis illustrandis praecclare et feliciter usum vidi Schultensium, in Commentariis insignibus in Iobum et Proverbia, atque etiam alibi.

§. XXIII.

Enimuero in hoc genere, de quo nunc diximus, adiuuatur indagandi ratio a similitudine verborum et troporum. Sed est praeter illam alia ratio, subtilior illa quidem, sed interdum necessaria et per quam usilis, in primis tum, cum aliae viae non dant aditum ad sensum tenendum. Non est dubium, quin quam plurimis rebus homines eodem modo adficiantur in utramque partem, ut idem sentiant, cogitent, iudicent, etiam agant: quod fit maxime in rebus quotidianis, ad vitam communem pertinentibus. Sed in his exprimendis discrepant, non modo diuersitate sermonis, quod per se clarum est, sed etiam modo enunciandi, ut verbis et formis loquendi utrantur, quae sibi parum respondeant. Itaque si quis ad verbum exprimere alia quacunque lingua conetur, res plane diuersas indicari putet, idque saepe accidere, vel ex iis intelligi potest, quae supra diximus. In his igitur, quis dubitare possit, ad intelligendum prodeſſe plurimum, si, cum aliiquid obscuritatis et ambiguitatis oritur e maiori difſenſo a lingua vernacula, videamus, quid dicant aliarum linguarum auctores de iisdem rebus, iisdemque temporibus, ut si hi planius loquantur, aut accommodatius ad vernaculam, hinc obscuriora illa intelligamus. Per multa sunt in graecis, quae sic intellecta sunt e latinis, et contra: et in hebraicis non pauci, tali comparatione cum graeca aut latina aut alia lingua intellecti sunt. Atque hoc genus comparationis nusquam magis, ut opinor, prodeſſe potest, quam in orientalibus linguis, et graeca, in primis, quoad hebraicam imitatur, propterea quod modus, quo cogitata exprimunt, valde discrepat ab eo, quo populi vivuntur sub occidente positi, et vero septentrioni propiores. Sed et hoc genus et superiora illa magnam circumſpectionem, multum iudicii, et lectionis exercitationisque desiderant, ut sint in promptu, quae comparare possis, ne leui aliqua similitudine fallare, neue dissimilia compares, et a vero sensu aberres.

§. XXIV.

§. XXIV.

Hactenus ostendimus, quot et quantae difficultates sint in sensu *Dificultates verborum inuestigando per obseruationes de vñ loquendi. Restat de in grammaticalibus praeceptis, quae proprie dicuntur, quamquam et ipsa cis praeceptis obseruationibus tenentur, ab vñ loquendi ductis: vnde discimus vim et usum temporum, mordorum, atque formarum, articulorum, particularium, turn σύνταξιν verborum et figuris dicendi, sine quibus nec οἰκτοῖ illa, de qua supra diximus, constare, nec pure graeca ab hebraizantibus discerni, nec sensus certa ratione indagari potest, propterea, quod quaeunque interpretatio iis Grammaticorum praeceptis repugnat, vera esse et probari nullo modo potest. Sed harum praeceptionum et obseruationum tanta multitudo est, vt per difficile sit, eas omnes cognoscere, nedum in promtu semper habere, vt occurrant nobis statim in legendo et interpretando, moneantque, quid videndum iudicandumque sit; quod consequi nemo sine multa exercitatione et diuturno vñ potest: praesertim cum pleraque sint minutae, versenrurque in rebus tenuibus, in syllabis, ac singulis paene litteris; quae facile excidunt animo, aut fugiunt nos tum, cum iis maxime est opus, hoc est, cum nobis aut ab alienae interpretationis nouitate, aut nostræ lenociniis infidiae fiunt. Itaque magni et praelari viri in hoc genere saepe lapsi sunt. Exempla ponemus aliquot, vt et imbecillitas humanæ moneantur et cauere discant studiosi. Nobilem illum locum et ad diuinitatum I. C. asserendam efficacissimum Rom. IX, 5. primus tentauit *Erafmus*. In quo ei accedit, quod fere omnibus sollet, qui in planis et facilibus, sive morositate quadam ingenii, sive alia qua de causa, argurantur. Existimat, si Paullus hoc dicere voluisse, quod vulgo putarent, ei dicendum fuisse ὅς ὁν ε. π. θέσ: quod est, vt ille profecto nullo modo nesciebat, contra prima Grammaticae initia, et perpetuam obseruationem, quae docet, relativum ὃς semper mutari in articulum δ, cum e verbo finito fit participium. *Μανδεῖος* dixeris, δς τηγεῖ πάντα ταῦτα: at μ. δ τηγὸν, nullo modo δς τηγῶν. Sed de hoc et toto illo loco et aduersus hunc et aduersus *Wetsteinum* satis dixi in *Actis Erud. a. 1754.* In 1 Cor. V, 12, ἐχτὸς ἔσω ἴμεις κηνεῖτε; Syrus interpres κηνεῖτε, vt imperatiue dictum cepit, post cumque alii: vnde paullatim factum videtur, vt sequens κηλὶ ἐξαρτεῖ mutaretur in libris in imperatiuum ἐξαρτεῖτε vel ἐξαρτεῖτε: quamquam ea scriptura etiam e versione latina nasci potuit. In quo non meminerant, ἐχτὸς nullo modo hoc pati, quod aut sim-*

D

pliciter

26 DE DIFFICULTATE INTERPRETATIONIS

pliciter ut V. 2. aut cum interrogatione negat. Sed in eodem genere aberrauit ille noster G. Olearius, qui profecto talia tenebat, cum verba Matth. XXIV, 2. ἡ βλέπετε πάντα ταῦτα interpretaretur: *nolite haec mirari*: quae sententia cum blandiretur conuenientia sua cum contexto, et bonitate, non sicut meminisse, id esse μὴ βλέπετε, non ἡ βλέπετε. In eadem epistola, X, 30. verba εἰ ἐγώ χάριτι μετέχω, τί βλασφημῶμαι, ὑπὲρ ἡ ἐγώ ἐνχαριτῶ, doctissimi fuere viri, qui χάριτι ad μετέχω referrent, non, ut Grotius, L. Bos et I. Albertus V. C. in Glossar. N. T. p. 130. qui intelligunt *beneficio diuino*, dante Deo pro benignitate sua, sed, ut sensus esset, si particeps sum gratiae, beneficii diuini: oblitus id esse μετέχω χάριτος. In Actis Ap. III, 21. ἐν δεὶ σημὸν περ δέξασθαι, interpretantur docti homines, de occupato regno coelesti a Christo adscendente in coelos: quae sententia, vt alia taceam, requirebat e grammaticis praeceptis, ἐν ἑδει 8. μ. δ. vt in illo Luc. XXIV, 26. ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστόν. In iisdem Actis VII, 15. in verbis ἐν Ψυχᾶς ἐβδομήνονται πέντε, Corn. Bertramus, cupiens hunc numerum refingere ad codicis hebreici lectionem, corrigendum coniiciebat πάντες pro πέντε, in animo habens elegantem graeci moris formam, qua πάντες additur numeris, vt intelligatur numerus certus, velut in illo Callimachio πέντε στοιχεῖα πάντα: quinque ipsae (sic enim hoc Latini exprimunt) erant ceruae. Eam correctionem probabat Th. Beza, graece doctissimus, et noster Sal. Glotius valde probabilem indicabat (Phil. S. L. I. Tr. II. Sect. II. n. 10. p. m. 168.) addens etiam: *Vbi res videtur esse adeo aperta, et correctio ex fonte V. T. hebreao adeo plana, ecquis tam superstitiose cautus esset, vt ex unico hoc vel altero mendo vel puritatem (integritatem) vel auctoritatem totius N. T. scripturae conuelli existimat.* Enimvero ea correctio nullius pretii putanda est, cum vulgarissimis legibus grammaticis aduersetur, quae πάντες desiderant, ἐν Ψυχᾶς ὁ πάντες: quod longius a scriptura vulgata recedit. Et nihil saepius vidi, quam doctissimos homines decipi ab obseruatuncula aliqua exquisitioni, vt, dum ex ea aliiquid vel corrigeret vel explicare cupiunt, offendant grauerit ad notissimas regulas. Itaque facile intelligitur, quantam haec difficultatem habeat in discendo et vtendo. Sed maxime opus est multa et accurata exercitatione in eo, vt quicquid legas ad praecepta illa grammatica diligenter exigas, videasque, quid ea desiderent, quid iis consentaneum sit, de sensu verborum statuere.

§. XXV.

§. XXV.

In muneribus boni Interpretis N. T. posui etiam *proprie dictionem*. De difficultatum a tropicis sejunctionem. *Eius necessitatem maxime imposuere, id te in propriis quod satis constat, controversiae quaedam de f. Coena, de Persona Christi etc. Nam in ceteris scriptoribus graecis latinisque rara eiusmodi dubitatio aut disputatio est.* Itaque cum tot Commentarios, tot obseruationum, lectio numque libros legerim, nihil tamen de tropicis a propriis discernendis me legere memini. Iudicatur enim ibi res sensu communi: isque ad id iudicium putatur sufficere: et profecto sufficeret etiam in libris sacris, si eos eodem animo tractaremus. Sed ad illos libros legendos accedunt homines animis magis liberis ab antecaptis opinionibus: ad libros sacros autem veniunt plerique προβλεψόντες, quid quaerere, quid inuenire, quid non inuenire debeant. Itaque non mirum est, etiam tropos et quaeri et inueniri, ubi nulli sunt, ubi integer lector, paratus accipere, quod inuenierit, h. e. nihil nisi usum loquendi et formam orationis spectans et sequens, nunquam de tropo cogitet. Sed vi facilius res difficiles explicantur, quam nimis faciles et simplices; propterea, quod in his quaerendum est, quod explices, in illis materia et res explicandae se ingerunt ipsie: ita res haec, alibi facilis et expedita, hic ipsa facilitate sua impedita facta est et difficilis. Opus erat praeceptis, quae signa indicarent, quibus teneri tropi veri possent, quorum absentia ficti repudiarentur. Sed haec in vulgaribus libellis hermeneuticis parum subtilia reperiunt studiosi, velut illud, *a propria verborum significatione non facile esse recendum:* cuius hodie, in tanta literarum luce, etiam pudere debebat eos, qui inter eruditos numerari vellent. Nam praeceptum illud, antiquissimum sane ac verissimum, non ad troporum iudicium pertinet, sed ad allegoriae, etque sensus proprius in eo is, quem hodie literalem vocant. Tum illud *non facile* quam ambiguum et incertum sit, quis non videt. *) Quod si intelligitur *rariſſime*, ut fert linguae latinae consuetudo, falsum etiam terperit, cum nulla sacrorum librorum prope pagina sit, in qua non occurrant tropi, *Glaſſiusque totum librum* sat magnum figuratis impleuerit. Nec multo melius, qui non sine evidenti cauſa aut necessitate tropum agnoscendum praecipiunt, vt *Danhauerus Idea boni Interpretis p. 85. Hermen. S. p. 259. Tarnouius*

D 2

Exerc.

*) I. F. Gronouius ad Tacit. Ann. I, 72. ICtus: *Nec lubricum linguae ad poenam facile trabendum est.* Sed latebra est in illo *non facile*.

28 DE DIFFICULTATE INTERPRETATIONIS

Exerc. Bibl. p. 385. et alii. Nam ne sic quidem usui aptum est praecipum, cum signa certa evidenter causae ac necessitatis non tradantur, certe non e natura et analogia linguarum, quae maxime audienda erat. *) Subtilius rem aggressus est Calvini de Persona Christi p. 547. sed ut Metaphysicum magis agnoscere et Dialecticum, quam Grammaticum. Itaque mirum non est, si magna hic difficultas obiciatur studiosis, in disputationibus de tropis et figuris orationis in libris sacris, iisque interdum, si non iis in locis, de quibus decretum est in formulis doctrinae, at in aliis, ubi liberum iudicium est, sibi ab iis imponi patiuntur, qui tropos aut figurae temere fingunt. Futile autem prorsus est, quod Clericus Arte Crit. II, 1, 7. nobis pro regula, ita vocat, proponit: *propriam significationem cum tralaticia non esse confundendam*: subiectis etiam futilibus exemplis, quibus opus non erat in re, omnibus pueris nota, et a nemine in dubium vocata.

§. XXVI.

*De Empha-
sum iudican-
darum diffi-
cultate.*

Maior difficultas est in *iudicio emphasiū*. Nam primum nec hic locus satis explicatus est, et praecepsis accuratis illustratus, quibus dirigi studiosi in indagandis iudicandis emphasiis possent. Libelli de interpretatione vulgati fere nihil habent, praeter quam quod in istis canonibus positum est: *emphasēs verae non sunt repudiandas
fictae non admittendas*: eaque decreta in scholis non aliter, nisi exemplis, quae cuique vera aut ficta videntur, illustrari solent. Enim uero hoc nemo dubitat, nec quisquam emphasis probat, quam fictam ac non potius verissimam putet. Cui enim sua non verissima atque optima videntur? Immo hoc docendum erat, quae essent emphasis verarum notae, quibus animaduersis, emphasis vera in verbo esse intelligatur, idque accommodate ad loquendi consuetudinem bonorum scripto-

*) Turretinus de Interpr. S. S. p. 201. extr. ostensurus, qua via tropicae locutiones a propriis discernantur, rei naturam attendendam praecipit: *Si res iuxta literam suam impossibilis videtur, tunc locutio figurata esse necessario debet*. Primum illud videtur fallax est et ambiguum: deinde id ipsum queri ac disputari solet in quibusdam, an impossibile sit, nec ne. Addit, similiter iudicandum esse, *si quid imperetur quod crudelē et impium videatur*, idque ad Eucharistiam confert. Iterum illud suum videtur crepat. Quod si Abrahamus hanc legem sequi voluisse, certe praecepsum Dei de filio immolando tropice capere debuisset.

scriptorum: quibus locis, quomodo, in quaue lingua emphasiū
vſus esset: denique exemplis propositis idoneis exerceenda discentium
ingenia ad hanc iudicandi facultatem. Quod tanto magis erat ne-
cessarium, quanto magis proclues sunt imbecilliores, et ab scientia
linguarum minus instructi, et in interpretando exercitati, ad emphases
ex etymologiis, praepositionibus, tropis quibuscunque, fingendas,
hoc est, vt Erasmus ait (ad 1. Cor. VI, 1.) ad ludendum in rebus se-
riis. Atque etiam vidi doctissimos viros, in humanis libris graecis la-
tinisque interdum argutari, torquendis verbis, ob tales aliquam cau-
sam, ad emphasin: quid futurum putemus in libris sacris, in quibus
illa ipsa reverentia, quam erga eos merito habemus, facile persuadere
nobis potest, vt plus esse in verbis putemus, quam spiritus diuinus
voluit: quod accidisse olim Iudeis, et superiori seculo Cocceio, viro
sane primario, eiusque aemulis scimus, qui verba sacrorum librorum,
quia diuina essent, tantum significare statuebant, quantum possent.
Quod cum sit certo quodam modo verum, nempe cum hac adiunctio-
ne, quantum possunt per ingenium linguae et vſum loquendi, illi vero
sine hac adiunctione accepto illo decreto, vbiique non modo empha-
ses, sed etiam allegorias et vaticinia e verbis expressere, quorum ni-
hil viris diuinis in mentem venerat, merito improbat doctis et piis
Theologis, qui sic illudi potius libris diuinis, quam honorem haberi
existimabant. Atque etiam ipse sermo librorum diuinorum, quoad
hebraicam confuetudinem imitatur, facile hic incautos aut non satis
peritos et exercitatos in legitima ratione, transuersos agere potest,
propterea quod hebraica lingua in multis longe recedit a noſtræ atque
adeo latinae linguae indole. Itaque qui eas formas loquendi cum lati-
nis aut vernaculis et Lexicorum vulgarium praescripto comparant, nec
linguae hebraicae indole aestimant, facile ſibi ab emphasiū in anibus
figmentis illudi ſinunt, quibus profecto oracula diuina opus non ha-
bent, in primis in abstractis pro concreto positis, quod frequentat in
primis lingua hebraica, in tropis, in numeris etiam. Clericus in Arte
Critica, quam ille appellare ausus est, II, 1, 4. proposita hac, vt yo-
cat, regula: (eft autem nihil minus quam regula vel intelligendi vel
iudicandi) multa videri in versionibus emphatica, quae in ipsis fontibus
nullam emphasiū habeant, adiunctisque eius generis, vt ipſe putat,
exemplis, de quibus dicere hic nihil attinet, ad extrellum §. 15. hunc
conficit canonem: *Quamuis emphatica videantur veterum verba, ſatis
effe, diluto ſenſu ea interpretari, ſi, dum vrgemus, absurdī quid com-pleuantur.*

30. DE DIFFICULTATE INTERPRETATIONIS

pletantur. Si vere absurdum sit, quod conficitur, verum canonem esse fatear. At iste canon non nisi vii exemplorum propositorum §. 7. e Genes. IV: 21. conuenit: idque ipsum tropi potius exemplum est, quam emphaseos: quid sicut ceteris fictis emphasibus? Non enim omnes absurdii quid habent, sed saepe sensum probabilem, aptum concionandi popularitatii, in hortando, terendo, monendo: pias emphases voces, sed non accuratas. Quid? magnus Criticus, dialetica subtilitate subactus, quos Canones scribit pro bonis et legitimis emphasibus agnoscendis et iudicandis? Etenim non minus improbandum est, si quis fuga fictarum emphasis minuit vim diuinitus subiectam verbis? Hic nobis nihil sui acuminis critici impertit. Quin pluribus exemplis docuit, se emphases acute videre et iudicare non posuisse. Negat v. c. §. 20. verba Christi Matth. VI. μὴ μεριμνήσθε, esse cum emphasi dicta, ut existimaret ii, qui perfectos Christianos omnia sua abiicere et aliena quadra viuere debere dixerint. At stulti isti sine emphasi accipiebant, quod ἐμφατικῶς intelligendum erat, et curam simpliciter cogitabant, cum anxiā, sollicitam, assiduam intelligere deberent. At enim uero si leges iudicandarum in utramque partem emphasis quamvis diligenter et perspicue, et ad usum accommodate scribantur, quod nos D. V. tentabimus: tamen multum adhuc laboris restat. Res enim constat accurata linguarum scientia, multa et curiosa lectione, exercitatione etiam: atque his quidem, multo magis quam praceptorum subtilitate, quibus nihil feliciter nisi via ostendi potest. Sed aliud est, viam videre, aliud emetiendo, quo velis, peruenire.

§. XXVII.

Difficultas compонendo-
rūs ēvāntio-
φavōv.

Compositio ēvāntioφavōv, de qua nobis, ut proposuimus, dicendum restat, etiū rerum maxime scientia opus habet: tamen etiam grammatica auxilia desiderat, quae ipsa non nimis facile vel comparantur, vel usurpantur. Nam primo *refrēz* illa opus est, de qua in principio diximus, saltem ne decipi te patiere ab iis, qui coniecturis de lectione librorum rem componere tentant. Cum deinde *ēvāntioφavōv* est ex genere dogmatico, etiū analogia fidei prodest, tamen ea nullo modo sufficit, sed in prōmitu esse debent obseruationes de vi verborum, et consuetudine hebraica maxime, saepenumero ab occidentalium linguarum indole abhorrente, et analogia linguarum, quibus plerique res bene conficitur: in quo quid difficultatis sit, supra dictum est. In historico autem genere, cum disereant nomina personarum, locorum

rum atque temporum, numeri, etiam attributa et praedicata ipsa, cognita debet esse consuetudo historicorum in varietate narrandi sine disfusio vero, itemque in modo loquendi, quo subinde vtuntur, pro consilii ratione, non ad summam *ἀναβίων* exacto. In ipsa etiam comparatione videndum est, vter locus ad alterum, vtrius narratio ad alterius narrationem accommodari debeat. Quorum illud consequi nemo potest, nisi in lectione historicorum et comparatione multum accurateque versatus: hoc autem desiderat iudicium subiectum multis exemplis cognitis, et exercitatione ad eorum similitudinem instituta. In quo prodest legisse Commentarios Criticorum et obseruationes, in quibus loca veterum historicorum ἐναντίον per istas ipsas, quas indicauimus, obseruationes de modis narrandi loquendique, bene feliciterque componuerunt. Sed haec omnia nemo non intelligit, quam multum laboris, studii curaeque, etiam iudicij requirant: nec quisquam inquam dubitauit, quin haec pars grammaticae interpretationis longe difficultima esset.

§. XXVIII.

Atque ita absoluta est disputatio de difficultatibus N. T. bene *Conclusio*. et accurate interpretandi: quae a nobis suscepta est nullo alio consilio, quam ut opinionem, et Theologiae ipsi et linguarum studiis in primis roxiā, quae valde mediocrem, ac prope nullam linguarum, in primis graecae, scientiam ad libros N. T. graecos bene intelligendi interpretandique facultatem sufficere fingit, et aditum ad illam facultatem plerisque occulit, ex animis iuueniū, qui se ad S. Theologiae studia contulissent, euelleremus, eosque ad bonarum literarum et facrorum librorum accurate intelligendorum studium acueremus arque incitaremus. Nihil citius res etiam faciles impedit et difficiles reddit, quam facilitatis opinio, nedum eas, quae multas et graues difficultates habent. Gignit enim negligentiam et ignauiam, quae nihil in vlo genere praeclari consequi finit. Enimvero si vlla res est digna acerrima ingenii contentione, libri diuini profecto sunt ii, quibus recte accurateque cognoscendis sumnum studium curamque tribuere conuenit Christianis, in primis his, qui Lutheri se discipulos et aemulos profissentur, cuius totam disciplinam ab sacrarum literarum per studia linguarum intelligentia natam esse constat. Videmus, quantum curae, laborisque in ceteris graecis et latinis scriptoribus accurate cognoscendis et interpretandis collocent ii, qui se eorum interpretes profissentur, quam

32 DE DIFFIC. INTERP. GRAMM. NOVI TEST.

quam non modo res omnes et verba, sed singulas paene literas curiose persequantur, ne quicquam relinquant, quod non excusum sit et exploratum. Non pari atque adeo maiori studio diligentiaque complecti sacros libros decet hos, qui eorum se interpretes ac doctores aliquando profiteri in animo habent? Paramus iam animos celebrandae Auguſtanae Pacis memoriae, per quam nobis dulcissima illa et pretiosissima Libertas sacrorum sive parta sive firmata est. Ea non est licentia de rebus diuinis statuendi, quae quoquis alio quam libertatis pulcherrimo nomine digna videri debet. Ut humana libertas tota legibus tenetur, quibus sublati vel licentia vel seruitus consequitur: sic haec sacra tota cernitur in eo, vt de rebus diuinis non ex cuiusquam hominis arbitrio et imperio statuere cogamur, sed unam librorum diuinorum, veluti unius et summae legis vocem audire, eique parere licet. Hanc igitur legem amplecti ac tenere, hanc dies noctesque verfare, scrutari, et meditari debet, quicunque huius libertatis amicos ac defensores se profitentur: quae ne teneri quidem potest sine illo librorum diuinorum per subsidia bonarum literarum cognoscendarum studio. Hac ictius libertatis et appetenda et comparandae viam olim munierunt; his sublati et contentis eadem, vt olim, tollerunt paullatim ac peribit, redibitque barbaries, quae sacras literas mentesque adeo hominum ipsas tenebris oppleurit, Ecclesiamque uniuersam dominationi Romanae subiecit. Hoc caute o! quicunque sacra nostra amatis, et multo maxime, qui Theologiae vos consecratis, cui custodia et defensio Libertatis illius sanctorum proprie credita est, et studiis bonarum literarum omnium sanctorumque librorum acerrime tractandis, et puritati et libertati sanctorum, et vero etiam laudi gloriaeque vestrae, ad quam in illo vestro genere nullus alias aditus pater, consulite.



FC 1285

Vol 18

ULB Halle
004 966 066

3



Sb.

nr.





12

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimeters
Inches

DISPV TATIO PHILOLOGICA
DE
D I F F I C V L T A T E
INTERPRETATIONIS GRAMMATICAЕ
NOVI TESTAMENTI
Q V A M
EX AVCTORITATE AMPLISS. PHILOS. ORDINIS
S V B P R A E S I D I O
I O H . A V G V S T I E R N E S T I
LITTERAR. HVMANIORVM PROFESSORIS PVBLICI
A. D. XXVII. SEPT. C I O I O C C L V .
H. L. Q. S.
D E F E N D E T
G E O R G I V S G O D O F R E D V S Z E M I S C H
L I P S I E N S I S ,

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.